MISSA
S. PETRI NOLASCO
CONFESSORIS,
Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Fundatoris.

A Sac. Rit. Congregatione recognita, & approbata die 12 Iulii, 1664.

Die 29. Ianuarii. IN FESTO
S. Petri Nolaſco Confeſſoris.
Introitus.

Pſ. 91. IVſtus ut palma florêbit: ſicut cedrus Líbani multiplicábitur: plantâtus in domo Dómini, in átriis domus Dei noſtri: Ibid. Pſalm. Bonum eſt confitéri Dómino: & pſállere nómini tuo Altíſſime.

℣. Glória Patri.

Oratio.

DEus, qui in tuæ charitâtis exémplum ad fidélium Redemptiônem, Sanctum Petrum Noláſco, Eccléſiam tuam nova prole fæcundâre divínitus docuíſti: Ipſius nobis interceſſiône concêde, à peccáti ſervitûte ſolútis, in cæléſti Pátria perpétua libertâte gaudêre. Qui vivis &c.

Léctio Epiſtolæ Beáti Pauli Apóſtoli ad Corínthios.

2. Cor. 4. 6. FRatres, ſpectáculum facti ſumus mundo, & Angelis, & homínibus. Nos ſtulti propter Chriſtum, vos autem prudéntes in Chriſto: Nos infirmi, vos autem fortes: vos nóbiles, nos autem ignóbiles. Vſquè in hanc horam, & eſurîmus, & ſitîmus, & nudi ſumus, & cólaphis cædimur, & inſtábiles ſumus, & laborâmus operántes mánibus noſtris: maledícimur, & benedícimus, perſecutiônem pátimur, & ſuſtinêmus: blaſphemâmur, & obſecrâmus: tamquàm purgaménta hujus mundi facti ſumus, ómnium peripſêma uſquè adhuc. Non ut confúndam vos hæc ſcribo, ſed ut filios meos charíſſimos móneo in Chriſto Ieſu Dómino noſtro.

Graduale. Os juſti meditábitur ſapiéntiam, & lingua ejus loquêtur judícium. Pſ. 36.

℣. Lex Dei ejus in corde ipſîus: & non ſupplantabúntur greſſus ejus. Allelúja, allelúja. ℣. Beâtus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. Allelúja. Pſalm. 111.

Poſt Septuag. omiſſo Allelúja. & ℣. ſequenti, dicitur Tractus.

Beâtus vir, qui timet Dóminum: in Ibid.

man-

mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectôrum benedicêtur. ℣. Glória, & divitiæ in domo ejus: & justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Sequéntia S. Euangélii secúndùm Lucam.

Luc. 12. d. IN illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Nolîte timêre pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Véndite quæ possidêtis, & date eleemósynam. Fácite vobis sácculos, qui non veteráscunt, thesáurum non deficiéntem in cœlis: quo fur non approṕiat, neque tínea corrúmpit. Vbi enim thesáurus vester est, ibi & cor vestrum erit.

Ps. 20. Offertorium. In virtûte tua Dómine lætábitur justus: & super salutâre tuum exultábit veheménter: desidérium ánimæ ejus tribuísti ei.

Secreta.

PRæsta nobis, quæsumus omnípotens Deus: ut nostræ humilitâtis oblátio, & pro tuôrum tibi grata sit honôre sanctôrum, & nos córpore páriter, & mente puríficet. Per Dóminum nostrum.

Communio. Amen dico vobis, quod vos qui reliquístis ómnia, & secúti estis me: céntuplum accipiêtis, & vitam ætérnam possidébitis. Mat. 19.

Postcommunio.

QVæsumus, omnípotens Deus: ut qui cæléstia aliménta percépimus, intercedénte beáto Petro Noláſco Confessôre tuo, per hæc contra ómnia advérsa muniâmur. Per Dóminum nostrum, &c.